



**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1740

§. I. Quid nomine Census, & Exactionis veniat? Cui? Et ex quibus causis
solvi debeat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63798)

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

NOtoria est illa divisio potestatis Episcopalis in *Legem Jurisdictionis*, & *Legem Diocesanam* ex cap. 16. & 18. de Offic. jud. Ordin. Ad illam revocantur, quæ in dando consistunt, ut est v. g. Collatio SS. Ordinum, beneficiorum, dispensationum concessio, sententiarum prolatio &c. Ad hanc referuntur omnia emolumenta, quæ Episcopus vi Pastoralis sui munericis capit, & in accipiendo consistunt, ut sunt *Census*, *Exactiones*, & *Procurationes*. De *Lege Jurisdictionis*, & quæ illuc referuntur, tam in præcedentibus Titulis b. l. quam in prioribus duobus Libris sparsim jam actum fuit. De *Lege Diocesana* in præsentiarum nobis sermo erit.

§. I.

Quid nomine Census, & Exactionis veniat? Cui? Et ex quibus causis solvi debeat?

SUMMARI A.

1. *Census describitur.*
2. *Ejus quantitas de jure communi sunt duo solidi.*
3. *A singulis Parochiis Ordinario prestandus.*
4. *Qui tamen eundem nec angere, nec novum imponere potest.*
5. *Qualis esset, qui non jam tempore foundationis fuit impositus.*
6. *Quid per exactiones intelligatur?*
7. *Ex quibus causis fieri possint?*
8. *Solvuntur tantum ex redditibus Ecclesiasticis.*

Varia *Census* est acceptio tum in Jure Civili, tum Canonicō, ut prolixē ostendit Gonzalez ad cap. 7. b. t. num. 4. Molina de J. & J. tract. 2. disput. 381. Covarruv. lib. 3. Var. resol. cap. 7. num. 1. Ad sensum præsentis Rubricæ census nihil aliud est, quam annua pensio, quæ tanquam onus reale de proventibus Ecclesiæ vel beneficii Episcopo, aut S. Pontifici in signum subjectionis cap. 2. b. t. specialis protectionis, vel exemptionis cap. 8. de Privileg. cap. 10. eod. in 6. vel Patronis Ecclesiæ in recognitionem beneficii cap. 23. de Jur. Patron. vel alii certis personis Ecclesiasticis ex alia

alia justa causa solvit. cap. 26. h. tit.
cap. 24. de Elec^t. Canisius in Summa
b.t. §. 1. Holtiens. ibidem num. 1.

² Census hic consistit de Jure com-
muni in duobus solidis sive aureis c. 16.
de Offic. jud. Ordinar. & vocatur Ca-
thedraticum, quia in reverentiam Ca-
thedra Episcopalis, & in signum sub-
jectionis à singulis Parochiis annuatim
solvendus est, dicitur etiam Synodati-
cum, quia in Synodo Episcopali, quæ
singulis annis ex præscripto Canonum
celebrari deberet, olim solvebatur.
Hodie hunc censum in Conventibus, &
Capitulis ruralibus Archi-Presbyteri,
& Decani rurales colligere, & ad Epi-
scopum deferre solent. Notat hic P.
Reiffenstuel num. 14. quod valor soli-
di, cum pro varietate Provinciarum &
ipse variet, ex cuiuslibet Diœcesis con-
suetudine metiendus erit.

³ Dixi hunc censum à singulis Paro-
chiis solvendum esse, nam Ecclesiæ
regulares, cum à Lege Diœcesana sint
exemptæ cap. 8. C. 10. Q. 3. cap. 34.
C. 16. Q. 1. cap. 5. C. 18. Q. 2. etiam à
Cathe dratico immunes sunt. Barbos.
de Offic. Episc. alleg. 86. in fin. § 87.
num. 45.

⁴ Novos census Episcopus impone-
re non potest, nec etiam veteres au-
gere, multo minus partem reddituum
suis usibus applicare cap. 3. § 7. h. t.
& generaliter cavetur in cap. 6. C. 10.
Q. 3. ne Prælati subditos suos exactio-
nibus gravent, ne, ut ibi dicitur, vi-
deantur in Ecclesia DEI exatores po-
tius, quam DEI Pontifices nominari. Sed
libertatem (sunt verba Concilii Late-
ranensis in cap. 7. h. t.) quam sibi Ma-
iores conservare desiderant, minoribus
suis bona voluntate conservent. Nec

eo quoque titulo novam exactionem
imponere fas est, quo Episcopi Eccle-
siam de manu Laicorum liberaverint,
& eripuerint cap. 9. h. t. quia non cen-
sentur proprio actum liberalitatis exer-
cere, dum id faciunt, ad quod ex offi-
cii debito tenentur, & ideo nec remu-
neratio eis debetur. Panormit. ad d.
cap. 9. num. 1. § 2.

Censetur vero ille novus census, §
qui non fuit impositus tempore fun-
dationis, vel consecrationis, vel exem-
ptionis ac immunitatis indultæ: tem-
pore enim fundationis vel consecra-
tionis potest Episcopus non tantum
sibi, sed etiam Patronis, vel aliis ex
justa causa, & cum consensu fundato-
rum moderatum censum constituere
cap. 16. h. t. cap. 23. de Jur. Patron. Si-
militer censum aliquem imponere po-
test, quando v. g. Ecclesiæ aliquam
suæ Diœcesis ex justa causa, & cum
consensu Capituli exemptione donat,
in recognitionem beneficii cap. 6. de
Religios. domib. Lancellot. in instit. jur.
Can. lib. 2. tit. 21. §. 5. Stephan. Gra-
tian. discept. forens. tom. 4. cap. 617.
num. 5. § 6. qui plures ejusmodi cau-
fas ibidem recenset. Et hæc quidem
intelligenda sunt de censu perpetuo,
per quem Ecclesia proprio censualis
redditur. Barbos. ad cap. 7. b. t. n. 3.
non vero temporali, qui ex justis cau-
fas supra tit. 12. §. 2. num. 6. relatis
nonnunquam ab Episcopo imponi po-
test cap. 9. de restit. spoliat. cap. un. ut
Eccles. Benef. sine diminut.

Per exactiones intelligimus censum 6
quemdam extraordinarium, qui regu-
lariter quidem & citra necessitatem
subditis & Ecclesiæ imponi nequit, hac
vero urgente, moderatus dum fuerit,

Z z 3

ab

ab Episcopis exigi poterit, vocaturque tunc *subsidium charitativum* cap. 6. b.t. quod quidem ab initio, monstrata necessitate, & causa petendi, à subditis cum charitate petendum est, cui petitioni si non deferant, sed præfracte resistant, etiam remedii coactivis ad ejus præstationem cogi possunt. *Navarr. b.t. Confil. 3.* sive, ut ait *Panormitanus* ad cap. 6. b.t. num. 4. *Si caritas non proficit, exhibenda est potestas.* *V. Menoch. de Q. J. A. casu 128.*

*Quæ vero causæ sint, ex quibus dictas exactiones facere liceat, id jure expressum non est, unde ad superioris arbitrium hoc in passu recurrentum esse monet *Glossa* ad d. cap. 6. b.t. *V. rationabilis.* *Panormit. ibidem n. 4.* & alii communiter. In specie quasdam recenset *Barbos. J. E. V. lib. 3. cap. 21. num. 24.* *Riccius, & alii, veluti Consecrationem Episcopi, Confirmationem, Bullas expediendas tempore & occasione novæ electionis, dummodo summa collecta expensas factas non excedat.* Item si Episcopus sumptus immodosus fecit in causis & negotiis suæ Dioceesis; vel, si debita pro bono communi Ecclesiæ, vel Episcopatus contracta ab antecessoribus expungere voluerit; aut si iter ad Papam, vel Imperatorem ex publica & necessaria causa suscipere, ad Concilium Generale, vel Provinciale*

venire debeat. *Tamburin. de J. Abb. tom. 3. disput. 10. Q. 3.* *Azor part. 2. lib. 9. cap. 14. Q. 4.*

Subsidium hoc charitativum solummodo ex redditibus, & proventibus Ecclesiasticis exigi potest, unde ad illud Laici non tenentur. *Barbos. d. cap. 21. num. 35.* *Azor d. quest. 4.* Imo nec Clerici, qui pingue quidem patrimonium, nullum tamen beneficium habent. *Navarr. b. t. Confil. 5. num. ult.* *Barbos. num. 48.* Neque etiam beneficiati, qui præter congruam sustentationem ex suo beneficio nil reliquum habent. *Tambur. d. disp. 10. Q. 1. num. 9.* *Barbos. num. 99.* *Zölius b. t. num. 4.* Similiter nec Monasteria, tametsi non sint exempta, quoad Ecclesiæ suas regulares id genus tributi pendere tenentur, cum sint à Lege *Dioceſana* exempta, bene vero quoad Ecclesiæ ipsis subiectas. *Innocent. ad cap. 1. de Stat. Monach. n. 5.* *Tamb. d. disp. 10. Q. 4. num. 3.* Alii vero Clerici, non tantum Parochi, sed etiam simplices beneficiati indistincte ad illud tenentur. Imo *Navarr. dist. Confil. 5.* & *Barbos. de Offic. Episc. allegat. 87. num. 48.* existimant, subsidium hoc ab antecessore in beneficio petitum, & non solutum peti posse à successore, eo quod sit onus reale, & per modum tributi ipsi beneficio impositum. *arg. l. 7. ff. de Public. & Vedic.*

§. II.

De Visitationibus, & Procurationibus Canonicis.

S U M M A R I A.

9. *Quid sint Procurations?* 10. *Quid visitatio?* 11. *Ei subjacent omnes Ecclesiæ intra fines Dioceſis existentes.* 12. *Visitatio in doctrinam Bæbmeri in-*